



PETRI  
PAPEI SA  
MARITES CO'  
MOEDIA DE SA'  
maritano Euan'  
gelico.

Vaneunt Antuerpiæ sub  
interfignio Rubri  
Castri.  
ANNO  
1539.





ERVDITISSIMOQVE DOMINO  
DOMINO IOANNI FALLVELIO,  
Præposito Formosellano, Petrus  
Papeus, Salutem dicit  
plurimam.



Ræclarè & velut ab humanæ sapientiæ oraculo dictum est, tñ humanissimè, hanc viam ad gloriam esse proximam & quasi compendiariam: si quis id ageret, vt qualis haberi vellet: talis esset, quum enim vultus sit quædam mentis imago & tacitus sermo: animi bene compositi splendor in vultu se explicans, faciliè in hominibus sui amorem excitat: nimirum virtute sibi conciliante, & superiorum & hominum animos. Quam rem audio superiorem præpositum adduxisse: vt te cooptaret atq; inauguraret in collegium dignitatis suæ. Hoc etiam humanos omnes, hoc est Philologos bonarum literarum cultores, ad te amandum, colendum, suspiciendum compellit. Quapropter ego, tametsi ne semipagani quidem nomen agnosco, ad sacra tua adferre ausus fui carmen nostrum, id est Samariten Comædiam inconditam rudemque. Sed quia actionem eius præcipitamus, perendie enim hoc est, postridie natiuitatis Baptistæ agere constituimus, celeriter amplitudini tuæ mittere fuit in animo. Vt si, qui est candor humanitasq; tua, ludos nostros præsentia tua cõdecorare videatur, instructor adsis.

Si comiter accipis, erit quòd gaudeam: Si despicias, disscam non adeò temerè ad tam luculentos viros profilire, sed intra meâ me pelliculam continere. Vale. Ex athenæo Meniniano, decimo Calendas Iulias. Anno salutis humanæ, sesquimillesimo trigesimo septimo.



DRAMATIS PERSONÆ.

Megadorus	Senex
Diabolus	Leno
Hedylogus	Seruus
Guio	Parasitus
Sarcophilis	Meretrix
Cupido	} Latrones
Bacchus	
Mars	Adolescens
Aegio	Pædagogus
Eubulus	Seruus
Dromo	Hospes
Stabularius	Adolescens
Samarites	
Sacerdos	
Leuita	



DE SAMARITANO.

ARGUMENTVM

Trimetri

**A** Doptatum Aegionem à Megadoro, illicit  
 In amorem Sarcophilie diabolus, opera  
 Gulonis atque Hedylogi, quo meretricula  
 Potiatur adolescens: defexit Hierusalem,  
 Petit hierichontem, cadit in latrones miser  
 Disposatur mactatur dire vs, ue ad necem  
 Iacet relictus semiuuius in via  
 Viant illac Sacerdos & Leuita, sed  
 Medicamen non adhibent: quia vacui oleo erant  
 Verum Samarites illac conficiens iter  
 Aegro benefacit, vehit in diuersorium  
 Pandotheo tradit curandum, & curam ipse agit.

PROLOGVS

**Q** Via Pædotribæ est non literis, sed moribus  
 Bonis potissimum instituere suum g regem:  
 Ad conscribendum Samariten animum appuli:  
 Blanditias & gulam vt fugiant: si sapere auent  
 Qui illic stat Ægio, in latrones incidet  
 Elusus ab Hedylogo & Gulone, sic Adam  
 Peritit gula, dolo serpentis, habens fidem  
 Vxori. Cæterum vos adolescentuli  
 Mei filioli, discipuli charissimi: hic  
 Latetis in Ægionis persona. Si enim  
 Nequiter agitis semel, in vobis non est situm  
 Respicere: Talis opprimet vos calamitas  
 Vt neq; sacrificia: neq; quantumuis sacræ  
 Literæ queant vos inde eximere, nisi pius  
 Samaritanus misertus infundat oleum  
 Charismatis, hoc est gratiam almi spiritus,  
 Ad vos reuertor spectatores candidi.  
 Æquanimi estote: prodit in proscenium  
 Megadorus, adoptati pater, hunc componimus  
 Deo cum patre. Ægio homo est, Eubulus refert  
 Rationem, cuius consiliis traditus homo est  
 Studet diabolus inducere diuortium  
 Quod vt efficit: perit homo, sed restituitur  
**A** Christo operam date nobis per silentium.

Actus Primi scena prima Trimetri,  
 & eiusdem rationis.

COMOEDIA

Megadorus senex.

**N**on dubium est quin salutem ignatus oderit  
 Quin pessum eat, olim ego impurum illum diabolum  
 Lenonem iniquum, pestilentem, pessimum  
 Plagiarium, indignum facit, qui sic meum  
 Adoptatitium mihi ephenum filium,  
 Rerum imperitum, illicit in fraudes malas.  
 Ipsum de hinc video præcipitem ferrier:  
 Per prona perq; abrupta nimium lubrica.  
 Parabam sedulo regnum, delicias, opes,  
 Vxorem, amicos generetq; & potentia  
 Claros, & ingens præ laute famulitium,  
 Cultum, domum magnificam, rem lautissimam.  
 Ambrosiam nectar & duraturum penum.  
 Perpetuum in ævum: vt Cleopatraz cibos,  
 Cupediaque opiparas, adiposas dapes  
 Cereales mensas, ganeata siculaque  
 Fercula, vel ymbas, vel potius dicas nihil:  
 Præ illis meis quæ destinaram filio.  
 Hæc parui si quis æstimet, addideram dies  
 Non protoplasti, vel senis Mathusalem:  
 Non Aesonis, vel Tithoni, vel Nestoris.  
 Quis vita morbis, cladibus, doloribus  
 Iactata vexata fuit exagitataque.  
 Sed nostro in regno, morbis omnibus est loci  
 Nihil, at vt his tantis præ commodis, miser  
 Præuertat inepta poenitendaque gaudia.  
 Diabolus illi illic inastig ia, id autor est.  
 Hem flagitium hois, meæ atram familie  
 Pestemque perniciemque, nostrum siccine  
 Corruptere par est? sed virum decet grauem  
 Animi impetum, & dolorem acerbum reprimere.

Actus primi scena secunda.

Trimetri eiusdem generis cum vno

Septenario Iambico.

Diabolus. Leno. Gulo. Parasitus.

Diabolus.

**E**quid portenti nostris adfulget oculis,  
 Videretur ex eorum me hercle quidem grege,  
 Qui illudunt callide homines sycophantus,  
 Vt appido detrimentosa est improbo  
 Homini, lubrica lingua? Gulonem summum meum

Ladoris

DE SAMARITANO.

Lædoria pene imprudens perstrinxeram.  
 Gul. Vach coruos albos, & nigros cygnos] videre erit  
 Leporem nunc capiet cancer, nunc aurum pluet,  
 Et quicquid est optabile euax. Diab. Quur? Gul. Quia  
 Prisca reuoluuntur tempora, seculum aureum  
 Recurrit, Saturnus redit. Diab. Optem Delium  
 Natatorem, aut Appollinem, siue Oedipum:  
 Qui perplexos enarret gryphos mihi tuos.  
 Gul. Omnes modo agminatim virtutes polo  
 Relapsæ, hominum omnium imbuent corda. Dia. Quid ita?  
 Gul. Rogas? tu qui in calumniam trahis omnia,  
 Et aliò vorsum semper dicta, factaque,  
 Interpretaris, quàm quo fiunt, differis  
 Grauem sententiam: belle euge philosophe,  
 Vt grauius metuis & ciuilitur, ne qua temere  
 Effutias, per ipsum reditura iugulum?  
 Diab. Au pseudole, nequid opprobres: satis monet  
 Similitudo. Attabas si ego tu. Munenius,  
 Si tu Bithus, ego Bacchus, trahimus idem  
 Iugum ex æquo. Gul. Vera loqueris, eodem ouo sumus  
 Prognati, & in eodem ludo edocti simul,  
 Farinæ sanè eiusdem, & consecranei.  
 Diab. Graculus est graculo, Attabas Munenio  
 Coniunctus, & vulpes vulpi, & lupus lupò.  
 Gul. Hem sartor scelerum. Diabol. Au fator & messor criminum.  
 Gul. Virtutis osor. Diabo. Sarcinator malitiæ.  
 Gul. Veterator pessime. Dia. Dissidiâ & iurgiâ leges:  
 Sed heus, inopinantes nos pend hic Aegio  
 Oppressit, latius aliàs erit locus  
 Connugandi: institutam fabulam interim  
 Saltare pergamus, curemus scilicet  
 Hierichontem petat, contempta Hierusalem.  
 Gul. Rectè mones, tum erit insultationibus,  
 Et contumeliis opportunus probe.  
 Diab. Gymnasium fiet flagrorum & plagipatida.  
 Gul. Deglubemus eum, usq; ad mortem multabimus.  
 Diabol. Tace, ne insidiæ oboleant: lupus in fabula est  
 Insidiæ manifestæ cadunt fere irritæ:  
 Sed captemus, quid secum solus musstet.  
 Gul. Tu illuc concede, huc me illatebrabo ego firennue.

Actus primi.  
 Scena tertia,

COMOEDIA

Ægio adolescens

**M**iserum me, quem seuerus tam miseris modis  
Pater afflicet, me iuuenem amœnum & cupidum  
Vult alienum esse omnibus amœnitatibus

Amœna amœne quas adolescentia  
Fert. Iure vetet eodem, ignire ignem igneum, &  
Fame famentem famere, atq; siti torrida  
Sitientem prohibeat sitire, sed & vetat  
Mandar ieiunio macere, & inedia  
Fraudare genium, gemere, opes profundere  
Ægis erogare, bene velle, & etiam  
Benefacere tam inimicis, quàm suauibus  
Amicis indiscriminatim præter hæc  
Hydroposiam chameuniam, abstinentias  
Vigilias, c ilicia iugeis præscribit preces  
Velim excussum hoc tam intolerabile iugum meis  
Humeris, feram ne tam duri imperium patris &  
Non faciam, non feram, æternum valeat pater  
Catontana cum disciplina, mea  
Nil refert: verum enimvero prope dum intuor  
Nimium impudenter videar facturus, patris  
Iniquæ haud sunt leges, at apprime vtilis  
Illis parantur defecata gaudia, ac  
Solida consortia diuum immortalium.  
At quam libido fert voluptatem hominibus  
Quum pœnitenda est: tum felle vberima scatet  
Boni quippe omnis enericulum & ouium  
Esca est malorum nodo explicabili

Illaqueans incautos nimis ach miseris modis

Actus primi scena quarta

Octonarij Iambici.

Diabolus. Leno. Gulo. Parasitus.

Diabolus.

**E** Hem ganeo. Gul. Ehem lurco. Diab. pure pute sycophanta.  
Gu. Eho

Cedo quid Philosophi illum esse censes. D. hem sui gustum  
Ingenij, etiam si anguilla sit pressabimus, tenebimus  
Folio vt aiunt ficulno. G. E massa nullo se expediet dolo,  
Vt vt palpitet & luctetur & omnes scrutetur rimulas  
Dia. Titubantem de gradu deturbabimus horrida dein mala  
Coniciemus. G. Reuerbere videlicet hominē, hem graues cate  
Loquitur sententias, putes philosophum. Di. tertius est cato

Pictais



DE SAMARITANO.

Pietatis vltor, vach cultor volo dicere, in æquo labilis,  
 Dico stabilis, in fragitiis alacer. O ho iterum acer puto  
 Vt sæpe pecco lingua incauta mentem præcurrit. Gul. Age age  
 Dia. vitri impetus, ceu cautes fluctus maris inconcussa, reicit  
 Solidam super petram fidei, edicauit solerter domum,  
 Quæ nec turbine, nec aquis torrētibus, aut ruitātibus imbris  
 Pulsata cadat. G. Sanè verò. Dia. Quid super arenam ais scelus?  
 Gul. minime verò. Di. Probè nunc quidem at illum Thalerē ins  
 stantibus

Doctisq; canibus compellemus in plagas, sed tempus hinc  
 Negotio est legendum, nunc Eubulo iunctus est suo,  
 Propterea adhuc nostræ sunt contrahendæ in arcum copiar,  
 Atq; instruendæ vt opportuniore dimicent loco.

Actus secundi Scena prima

Aegio Adolefcens Eubulus Pædagogus.

Scizontes

Aegio.

**D** iabolon Eubule animo dixtin intento  
 Meam in fraudem? Eu. Admodi. Eg. Qui raptet a flicet,  
 Extingat me? Eub. Sic. Aeg. In me patris ingentes  
 Deriuet iras? Eub. Oppido fludet te ex hac  
 Hierusalem elicere, ex pace bona, in amentem  
 Hierichonta hoc est extremas in erumnas  
 Vbi luctus fremitus, meror, calamitas, angor  
 Et facier: nisi caues specie boni. Aeg. terres  
 Me. Eub. Terribilis profecto est eius immane  
 Ingenium sanguinis atq; cladis humanæ est  
 Infatiabile, proin monui & denuo edico  
 Proteffor, denuncio, caue sis, quasi dirum  
 Anguem effuge, quasi pestem morte præfenti  
 Grassantem subdolos, vaser, acer, astutus,  
 Blandus, seuerus, comis, durus, instructus  
 Paratus in omnia fraudis monstra, ceu proteus  
 Varius, mentem obtinet polipodis, ignaris  
 Attemperat se, & vt anceps aream spargit  
 Dulcibus efcis: blanditias ille item obiectat  
 Dum super inducat castes, & necet prædam  
 Pusillanimes & studiosos voluptatum  
 Sic irretit, magnanimos bile flagrante  
 Percit, truditq; ad scelera mente cerita  
 Alienat à se, hoc est à mente mortales,  
 Quos captat, à deo profum auocat, quod dff

C O M O E D I A

Patri Megadoro pares: qui te adoptauit,  
 Suumque dici, hac solum lege tantisper  
 Vult: dum facias quæ te sunt digna: proch summe  
 Deus, quam solida tibi parata, quam tuto in  
 Loco tua fiat salus locata: sin firmas,  
 Secusque inducis animum, vt audias illum  
 Extemplo te abdicabit, pacta rescindet,  
 Morreris: mors inobedientibus præsto est.  
 Viue itaque, & illum auerfare, hæc pater mandat.

Actus tertij Scena secunda.

Senarij Iambici.  
 Diabolus Leno.

**I**Ta ne depingor? itan propinor? me ne iam  
 Denique desistere incepto victum meor?  
 Quin in maiores instabo insurgere dolos,  
 Nec aperto decernam Marte: sed alia via,  
 Aliaque meunda est ratio. Si quid te iuuat:  
 Nec qua insidias succedit, frangier animo  
 Miserum est: alia est tentandum, destinabitur  
 Gulo atque Hedylogus vaser huic prouinciæ.  
 Qui lenociniis, obsequiis, salibus, jocis,  
 Facetiis, ludis, amœnitatibus,  
 Virilis paulatim effringant robur animi,  
 Post ego succenturatus, omnes machinas  
 Adhibebo, nec denique labor erit irritus.

Actus secundi Scena tertia.

Octonarij Septenarij, & Senarij Iambici.  
 Hedylogus seruus. Gulo parasitus  
 Hedylogus.

**Q**Uam iniquè comparatum est, vt quibus minus sunt pro-  
 speræ  
 Res, vbi semel inclinarint ad mala, statim adglutinent  
 Se contertim malæ res aliæ, calamitas adhæreat  
 Calamitati, vt trahit annulus annulum, en ego deprimor  
 seruili conditione, quæro, fero, refero, tundo, molo,  
 Obsono, curso, circumcurso, vocatum eo adolescentulos,  
 Concilio, adduco, delicias facio, excarnificante interim  
 ventre: exin nequid vorem in fame: ablegor alio foras.  
 Cyminum vt redij feritur, gliscit rixa, iurgium

Feruefcit

DE SAMARITANO.

Feruescit composito, calumnia mihi intenditur.  
 Edundi pugni lorumque offeruntur, rapior & vlmeus  
 Fio, vel si pugillus (quod rarum) atri obicitur panis, aut  
 Vittati casei: oculis emilsiis mox me impetunt  
 Configunt vultuosi, aiunt seruum bone frugi, qui edat  
 Parce, laboret sedulo, vsque cantilenam hanc occinunt  
 Parit fatias ignauiam, stultitiam, malitiam,  
 Si vescor auidius: in ore bouem gerere, modestius,  
 Si forte ligurio, fastidire me iurant simul  
 Omnes, nunc præter hæc intolerabilia infortunia  
 Latrante stomacho, hiantibus longè late ilium cauis  
 Me Hierosolymam legauit herus diabolus: vt Aegio  
 Nunc felix impulsore me mutet coloniam.  
 De esu nihil, viaticum non dedit: insaniam,  
 Quid potius faciam exenteratus extractus fame?  
 Tum mordace excipit nostram dicitur inediam,  
 Vt illam dii omnes eradicent serpitus  
 Emolumento est famelicus, ait seruus venter artifex,  
 Quid non effecit? coruos, picas, psittacos nostri subigit  
 Sonare verba, varias meditando artes iubet extundere,  
 Qui delicatè nutrit seruum: contumacem sentiet,  
 Qui pereat funditus cum illa disciplina, hic dies  
 Tertius est postquam ariditate crepito, ieiunio  
 Conficior, fame tabesco, aridior pumice nam sitim  
 Vt non Bacchus, Achelous facillè sedat, cæterum  
 Fames molestus interpellator quàm vrit? nullum modum  
 Didicit seruare venter ille improbus. Gulo. Hedylogum mihi  
 dari in

Conspectum gestio, quo ex vsu vtriusque illud quod fiet,  
 Cum eo colloquar. Hedylog. Est ne illic Gulo? certè est ô para-  
 flatium

Columen salue. Gul. Hem gymnasium famis. Hed. O inedia  
 Colonia, ecquid suboluit præda tibi? Gul. Nisi narium sagacitas  
 Me fallit, olet. H. quid olet. Gu. quid oleat? Imperitus callidè  
 Ludificandus iuuenis. Si id odoraris non pituitosus es,  
 Nec reumatismo infestaris. Gu. Porro quasi piscis, itidem est  
 Verriculo conuerrendus, & paulatim proliciendus in  
 Amorem. Hed. Nihil est hic loci oscitantiae atque ignauiae,  
 Sic est hominis animus formatus, & fictus probe  
 Philosophicis sententiis: nisi vulpina circumuenis  
 Techna, magis egeris, vt qui perito tendit retia.

Gul. Intellego primum mens eneruanda, deartuandaque est,

Saſua

C O M O E D I A

Safua mente, in munito est constituta homini falus  
 Efforminata verò it pessum momento leuifsimo  
 Hed. Ita res est deliciis & palpis percutiendis est, proin  
 Afsimulabo præftigiatorem, circulatoris mihi  
 Personam sumam, iocularis effutiam sales  
 Profitebor artem theffalicam carminibus, herbis fascino  
 Nihil non pollicebor tamen orationi tum vide vt  
 Subferuias appofite, si partes præftas rectè tuas  
 Verba dabimus, facili vtemur ad escariam rem commodè  
 Te attempera, vtq; ventus fuerit exin velum verteris  
 Gu. Vtramq; in aurem dormi curabitur, vt ar foro  
 Actus fequundi Scena quarta  
 Senarij omnes.

*Aegio* adolescens *Eubulus*

*Aegio.*

**A** Rectè qui habetur filius, pro incommodo  
 Paruo quod nunc est, commoditates sentiet  
 Post olim solidas, grauidasq; suauifsimis  
 Venustatibus, hoc pro me imprimis adducit: vt  
 Patris feram imperium, in officio me hoc tenet  
 Vehementi auctoramento, verbis consequi  
 Nequeo, quantopere trahat paternus candor, &  
 Quam gerit erga me sollicitudinem piam.  
 Quod patrium est inuitat, monet obsecrat dein  
 Interminatur, iterum promittit bona  
 Daturum in officio manenti. Itidem mala  
 Cumulatifsima capturum me: si à munere  
 Discedo filij. *Eub.* Viso quid agat *Aegio*  
 Sed eccum, perquam opportunè te quærìto  
 Quis agis? *Aeg.* In cogitatione heret animus  
 Atq; in pauore. *Eub.* Multis expedit in metu  
 Esse, beatus qui semper est pauidus, tamen  
 Quid est quod maceras te? *Aeg.* Grauius territas  
 Inculcas, obtundis, de eadem sepius  
 Re, nescio quam aduersum me fingi fabricam  
 Versare diabolum in caput meum dolos  
 Metuenda verba blanda, nequaquam aspera.  
*Eub.* Rectè sane, quandoquidem veluti toxicum  
 Auro gemmâq; haud in fictilibus vrceis  
 Bibitur, idq; ora poculi circumlita  
 Melle, ita animi venenum præfens dulcibus  
 Latitat in verbis, in picto testorio

*Sermo.*

DE SAMARITANO.

Sermo blandi præferunt imaginem  
 Benvolentis animi, sed furtim destruant  
 Mentem atq; omne bonum, hinc delicia, ludicri,  
 Libidines illecebræ, propulsanda ei  
 Suis qui rebus ritè consultum velit.  
 Aeg. Isthæc res est, verum male me habet, quod quasi  
 Mali præfagus instantis, toties ais,  
 Nisi cauteo fucum: os si sublinitur mihi  
 Deciderim gratia, in me cudetur faba  
 Nec, quod durum apprime est ingenuo homini suam  
 Solum pro delectamento, aut ludibrio: at  
 Male multabor miser, tunc dar odiosus  
 Ptifana in pila, feriente pilo desuper.  
 Eub. Cautè est opus, ne tanti particeps mali,  
 Tam inamabili hæreas, (vide cautim) in luto.  
 Aeg. Abiit, eandem cantionem recinuit.  
 Vach toties officij memorem moueriet?  
 Men futelis posse capi sicophantice?  
 Apage, haud capiar quidem: obfirmavi animum adeo  
 Et præmuniui, in portu tutus nauigo

Actus tertij scena prima.  
 Senarij Iambici & Trochaici.  
 Gulo parasitus.

**V**T nunc hominum est fides, par est quæstum ad suum  
 Vnumquemque esse attentum, vigilem, callidum  
 Seruare si cuiquam datam pergis fidem  
 Ad rastro tua actutum res redierit, teres  
 Digitalo salinum, ego sum mihi met proximus  
 Per fas nephas si possum prospiciam mihi.  
 Parare studebo chænicem etiam incommodo  
 Hedylogi, nec quicquam verbis eius subseruiam  
 Aduersum eum volens prudensque conferam  
 Orationis aciem, atque aduersabor sedulo.  
 Si facio rem, dentibus si quod molant paro  
 Ille nihil feret patiarque me vel ringier.  
 Si non progreditur institutum sub manus:  
 Tum demum aptabo me scenæ atq; fabulæ  
 Accommodabo, fucis mantellum obuiam  
 Aliquod meis erit, concendo in editum  
 Hunc locum, vt frequens huc ad me concio confluat.  
 Verum quid potissimum, vnde accedat spes lucri  
 Hic pollicear, aut commaniscar? hoc nec non

Placet

COMŒDIA

Placet, illud? haud expedit: hau quid si sic nihil  
 Minus, hem quid illud? friget, deniq; repperi  
 Res compendioſa veritas eſt, ſanctaq;  
 Nimirum ſuperorum conciliat & hominum  
 Animos: ipſam ſectantur, inquirent, amant  
 Hinc quaſtum facere, & hinc victum corradere  
 Contendam hodiernum: accurrite mortales bonum  
 Summum adduco venale (euge en numerus bonus  
 Hodie procedo pulchre) nempe cœlicam  
 Illam veritatem, eam tenete, ſtate quid  
 Fugitis? quoniam manete, ſtupidioreſ caudice  
 Sunt, parieti loquor, odioſa eſt veritas:  
 Tamen obſtinatè vt cœpi proſitutum præmiâ.

Actus tertij ſcena ſecunda

Septenarij Trochaici.

Hedylogus      Gulo      Eubulus      Ægio.  
 Hedylogus.

**A** Gite, ſi quis eſt mortaliu m cui libitum fiet,  
 Monſtra cernere, ſpectra, portenta, & rerum miracula,  
 Adſit huc, me videat, obſeruet me miretur, dabo  
 Mira prodigia, in taurum, aſinum, ceruum, ſuem, aut lupum.  
 Si velis quem abire: Iuppiter ſum efficio quod lubet.  
 Hermes Trimegiſtus, & Zoroaſtes, Hecate, Colchis, &  
 Circe, Sazana, Camidia atque Pſelli, & Marſi in me ſua  
 Omnes contulere vno veneficia animo, me ſuis  
 Artibus atq; dotibus imbuere. Gu. Contra fluminis  
 Curſum nitor, & aduerſis agitur ratis mea flatibus.  
 Ego deſtituor, hei gregatim ad illum populus conuolat:  
 Quin hinc me amolior? qui quem occipit quaſtum morer?  
 Eſt meo egre animo, illi ſine me obtingere quippiam boni,  
 Proin turbas ciebo. He. Hermaphroditos & Tireſias creo,  
 Et dapes paſetis præbeo. Gu. Nuſe, ſomnia, fabulæ.  
 Hed. Vbi volo, incanto veſtigiâ, excanto prudentiam.  
 Verum enim ne timueritis: veſtram ne pecuniam,  
 Carminibus meis crumenis eſt veſtris huc euocem,  
 Hercule non faciam. Gul. non hercule faciat, etiam maximè  
 Si velit. Hed. Diuitias ſi quis expetat: magis hercle  
 Sum dexter, gygis polliceor annulum, atq; virgulam  
 Diuinam. Gu. Aureis diuitat nebulo fartis centonibus.  
 Hed. Qui rapi à Veneribus, atq; optari à regibus gener,  
 Et quicquid pedibus tetigerit, mox fiat roſa poſtulat  
 Phyltra, pocula amatoria poſtremum omnes dabo gratias.

Gu. Ger

DE SAMARITANO.

**Cu.** Terræ germanæ, & *ἄγρια λυγρῶν*. **Hed.** Si pericula  
 Omnia omnis immunis mali transire gestias  
 Præsentissimum offeram amuletum, & baculum laureum.  
**G.** Maximus nugator, fascinator ignauissimus. (is perditū.  
**Eu.** Quin inquam mane, mane obiecro. **Æg.** Maneã. **Eu.** Quid te  
**Æg.** Perditum? quid hauriam tantum mali, nunc si audiam  
 Paululum facetiari, & nugari, animi gratiã  
**Eub.** Perieris si quæ ille fabulatur, immitas tuis  
 Auribus. **Æg.** Logus me perdet vnus? **Eub.** Vnus te logus  
 Inquam perdet: idq; nõ repente, at sensim ac clanculum.  
 Namq; vt carcinus malum inmedicabile, totum haud corripit  
 Continuo corpus: nec hominem protinus phthisis necat,  
 Sed mala hæc serpunt, diesq; aliquot exitio proferunt,  
 Sic colloquia praua, herbescentem segetem mentis bonæ  
 Paulatim necant. Aures igitur tuas nisi clauferis,  
 Delicatis, mollibus, ineptis iocis: heu claudier  
 Fontem sentiet benignitatis patrię tibi.  
**Hed.** Deliros acheronticos senes, etiã qui iam alterum  
 In charontis cymba posuere pedem, reddo pristinę  
 Quam libet iuuentuti, **Medeę** exemplo nobilis  
 Fando si audistis cepisse reiuuentscere **Æsonem**  
**Medeę** opera. **Cu.** Ne frontem impudenter perfricat scelus  
 Confidenter enim garrit, cuius neq; pes compareat,  
 Neque caput, bibit vel ex gallo amne vel Iarũ atraque  
 Bilis agunt hominem, mitte **Æsonem** at Peliam vide vt perit  
 Illi dum parat iuuentutem **Medeã** reducere, hic  
 Aureos promittit montes, mellaque & hibleos fauos,  
 Quñ neq; apiculam, immo aut plumbeũ nummũ ne habeat quidẽ  
**Æg.** An flagitium est festiuus leporibus operam dare  
 Exiguam? **Eub.** Sub omni lapide scorpius dormit tibi,  
 Insidias vbique tendit diabolus, prorepat &  
 Querit rimulam angustam, qua blanduli lenocini  
 Infumet, vel semivnciam, quam quum transmiserit,  
 Iacet enemis animus tum fenestram amplam libidini,  
 Pandit omnem ad nequitiam: vitiorum erumpunt agmina,  
 Parua initia eorum erant: qui sunt nunc perditissimi,  
 Per gradũs serpit malum: vt cepit resistere in limine  
 Opprime dum nouũ es. **Æg.** Ach tu enecas me religio irrita est  
 Excolare culicem: si camelum temere glutias.  
 Non recte ex anguilla peiorem facis angue viperam.  
**Eub.** Ach si sapias **Ægio:** liquido sanẽ & facile intelligas,  
 Demissa in animum tenerum iocularia quantum efformant.

Hiccebra

COMŒDIA

Illecebra illecebram parit, Lycurgus & Cato & Helias,  
 Ad nequitiam possunt si auscultent profecto adducier  
 Aeg. Aufer isthac, etiam si alliges me tormento ferreo  
 Non me retineas. Eub. Eia manc, abiit operam perdidit  
 Hed. Tam capitalis ne mini est hostis, quin si libitum est mihi  
 Conceptis queam verbis sarcire integrè gratiam,  
 Et redire cogam in gratiam longe efficacius:  
 Quam aut Iunonis aut Veneris cesto. Gul. Vt ei dii malū diunt  
 Sic hiberas nugas, atque portentosas nœnias  
 Blaterat. Hed. En ego me comparo vt specimen dem artis meæ.  
 In manu mea vestri sunt animi confestum sacros  
 Vt susurros murmurarim, vos vel ingratis mihi  
 Conciliauero, quin momus ille sentus, squalidus  
 Et fame æger nimia, qui nunc iam ex diametro pugnat in  
 Me, odium ponet, dextram iunget, fauebit candide.  
 Gul. Vt confidit fascinator? tenebras cudit, verba dat  
 Hed. Accingor: date operam, si non re ipsa comprobauero:  
 Quæ expectatis: sim ridiculus asinus inter simias.  
 Iuppiter, Venus, triadescq; prospere reducite in  
 Gratiam æmulos, Mercurio dextero internuncio  
 Iras, carmina, arterite mea, tu mihi qui male vis, redi ad  
 Mentem *λυσι κωισομ το όρνισομ σπινδλι πρδς τομ βροχόν*  
 Sincretismus e re est nostra, non pugna, at pax fert lucrum  
 Spectatores hoc nisi carme, plane erga me candido s  
 Vobis infudit animos, multatoc occidite funditus  
 Me. Gul. Satius profecto est cum homine inire gratiam bonam  
 Quippe ei si comoda congruunt, vt propitios deos  
 Dexteroscq; habet: recipiar in partem confortij  
 Album addo igitur calculum, Theseus redditus ex zoilo  
 Hem, tuus sum, non meus, beneficiis ita me tuis  
 Alligasti, tu qui hic consutis lemurum & magicis dolis  
 Adfas. Hed. Immo equidem, tunicis consutis adsto non dolis  
 Gul. Hau, hau, homo tum sanus es? cui tunicis hic adstare te,  
 autumas, non pedibus. Hed. Callidè hercle tu atqui men vides?  
 Haud assum pedibus. Gul. Ira profecto elixum te mauelin.  
 Aeg. Euax lepidos homines, delicias loquuntur & rosas  
 Merorem exturbant, animi propulsant ægriitudinem.  
 Gul. Hem, nunc tu illud infra, est noster, inhiat escam, hamum  
 vorat.  
 Hed. Exemplum artis en aliud meæ otuum hoc hic quod cernitis  
 Auferendum ad antipodas fugiis mandabo manibus  
 Et fict. Aeg. Papæ. Hed. Proserpina Pluto Aleæo Cebere,  
 Auferte



DE SAMARITANO

Auferte hoc hinc quo volui foras, videt in demones  
 Oblequi nobis? heus reddite hoc idem. En fabseruiunt  
 Iterum hem mando, vt huius sit, penetrabile mox annuli  
 Liquido cernitis: quam prompti, quam praesto vsq; obtemperant.  
 Proinde sumite hoc cenaticum genij parasitici  
 Pro vestra bona opera hostimentum leue, adeste heus denuo  
 Efficite hoc vt lintheum ardeat: neq; tamen incendio  
 Vllam contrahat labem, en igne ardet, & immune est mali  
 Omnis, ecce mea ipse capio, contineo seruo manu  
 Ignem illesus impune. Æg. Hei, quo munere hic non dignus est  
 Gul. Liberali me hercle tu quidem praeditus es indole.  
 O magne spei expectationisq; adolescentule.  
 O olim tui quanta ingenij decurrant flumina:  
 Quam clare impetus virtutis edas, nisi retunderet,  
 Reprimeretq; acumen istud, inhumani iugum patris?  
 Hed. Maeste animi iuuenis, nusquam ars tantam laudem inuenit  
 mea.

Nec parauit amicos praeter te, tam stupidos, caudices,  
 Plumbeos, inertes lapides fungos, atq; imagines  
 Hominum videas verius quam homines: apud quos sit fame  
 Pereundum, priusquam his quicquam suppeditetur artibus.  
 Æg. Vach tantas adeo iacere artes? ne formida tibi  
 Virtus vt desit, curaberis a me, quin penarium  
 Potius compilabo patris. Este animo interim bono.

Actus tertij scena tertia,

Trimetri Iambici.

Megadorus.

**H** Vi quidnam hoc est? quæ isthec est perturbatio?  
 Et precipitantia? lam dudum incursum domum  
 Accurrit filius, exanimatus, insolens  
 Anhelans, penè effregit foribus cardines,  
 Raptim in culinam se dedit vbi, nescio  
 Quid, nisi surripuit quicquam escarium. Inde tum  
 Foras extemplo proruit se, hoc vt mali  
 Portendat quippiam, animus anxius in metu est.  
 Argumentum est mali importuna celeritas.  
 Vach, cui nunc credas? Ita rara est homini fides.  
 Nam pedagogo gnatum Eubulo tradidi  
 Seruandum, formandum, imbuendum moribus  
 Atque literis materiae artificem scilicet  
 Probum adhibui, hoc cene est boni officium viri?

B

Sunt

COMEDIA

Sine arbitrio inconsumtum, incomitatum, vagum  
 Sineret quod fert libido, quo impellit animus?  
 Expostulabo grauius hanc licentiam  
 Cum homine, verum est ne hic quem video coram? ipse est,  
 quo rem resciscam: uti se habet, exploratus,  
 Assimulabo quasi nihil horum nouerim.

Actus tertij    Scena quarta  
 Senarij eiusdem generis cum vno septenarij  
 Eubulus    Megadorus.  
 Eubulus.

**A**T at quid agam nec quid tentem sat scio,  
 Iniquiore nunquam quod sciam in loco  
 Fui, quam quo nunc sum, ad eam ne & faciam patri  
 Palam, quantum experge facit malum Aegio  
 Sibi an caelem? loquar ne? incendiam acerrimum  
 Ita acre gestat acutum in pectore, taceam  
 Quasi huius adiutor nequitiae: deputer  
 Quouis supplicio dignus, sic refundere  
 Flagitia discipulum in magistros assolent,  
 Praeterea ubi rescierit: adeo commode  
 Fortasse tractet adolescentulum: luto  
 E cenoso eliciat, atq; a me amoliar  
 Simul crimen, at ubi inueniam iam herum sed heus  
 Ellum, here salue. Meg. Equid noster? hem tum pedem abeo?  
 Eub. Heu here. Meg. Quid lachrimas? saluus ne est? Eub. Vellem  
 quidem.

Me. Me miserum perii, perii? Eub. Haud ut tu autumas.  
 Animi laborat egritudine. Me. Oh quid audio.  
 Eub. Disciplinae iam dudum nostrae transfuga,  
 Ad parasitos, nugones, ad veneficos  
 Circumforancos atq; magos deficit.  
 Illis operam dat, adheret contumaciter  
 Me reicit, fastidit, odit, despuit.  
 Meg. Heu tales nactus est praecceptores? capra  
 Gladium. Eub. Megadore affectat ad crimina viam  
 Per angiportum perque anfractus deuios  
 Amens iam nunc hac se proripuit, nescio  
 Quid celatum sub chlamide gestans, sequor  
 Quo' ruis inquam. Eho dum ad me, resiste paululum  
 Ille obfurdere amabo mi Aegio volo  
 Te paucis, tantundem, fugere ipse quasi lupus  
 Clamorem, iamque se e nostro subtraxerat

Aspectu

DE SAMARITANO.

Aspectu, Megadore Megadore. M. Lachrimas  
 Vehemens mihi absomit dolor, hæc est diaboli  
 Teclina hanc exorsus est telam, quo illum auferat  
 Nobis nec faciet. Eub. Aspergis aquam. Me. Spe trahor  
 Non parua illum porro affururum saluum, vbi  
 Iuuentus refrixerit, vbi pernituit sui  
 Animo morem nunc gerit, olim sapiet tamen.  
 Porro meditata & formidata, aduersa sunt  
 Omnia mihi. Itaque finge, molire, effice  
 Opera consilio industria, quantum potes,  
 Redeat dehinc in viam, quod si te sensero  
 Officio deesse: nec conari sedulo  
 Hic, intellexitne exempla haud leuia manent  
 Te, abs te, si pereat, eius sanguinem exigam.  
 Eu. Bona verba quæso. M. Quod res est dico. Eu. Dehinc  
 Operoso & vigili te esse animo Eubule impero.

Actus tertij scena quinta.

Hedylogus. Gulo. Aegio.  
 Scenarij Iambici & Trochaici,  
 cum vno Septenario.

Hedylogus.

**M**alum igitur à me mendicas tibi furcifer?  
 Faceffe, sis à me, abin. Gu. Abeam? He. Quid tibi rei  
 Hic es? G. Nempe quod in balneo cani, hoc idem  
 Esse censum hic mihi? Hed. Nempe id ipsum, cho mihi  
 Non licere rem meam me solum vti, volo  
 Loqui atque cogitare? te sine arbitro?  
 Quid tu malum me sequeris? Gu. Decretum est mihi  
 Quasi umbra siem quoquo tendis te persequi.  
 Hed. Quid si directus hinc abeam in malam crucem?  
 G. Est certum mihi tecum ad crucem vsque pergere  
 Teque si detrectet carnifex: suffigere  
 In sublime, qui pascas coruos? He. Quid resistas?  
 Amolieris te hinc, malum, heus umbræ? G. Siquidem  
 Prædam ex æquo facis diuidiam, quæq; me  
 Contigit, partem actutum das. Hed. Siquidem tibi  
 Infortunium dabo: nisi hinc te protinus  
 Aufers. G. Tum me tum verbis proteles tuis?  
 Ne fiam lucri, qui & laboris particeps  
 Fui. Ae. Opportunè huc contuli me: vt fabulam  
 Hanc spectem, & suauiter arbitrer. H. Cessas loqui  
 Proteruè? tantum si lubet: hem cape, tange sis

COMEDIA

Gu. Ne me irritasses: crabro sum irritabilis.  
 Fames & mora bilem in nares mihi conciunt  
 At contumelia ista acuit iras. Hed. Itan  
 Verò auferas? heus carnifex? Gul. Trifurcifer  
 Feris? hem tibi, tu quoque vicissim vapula.  
 Aeg. Ha ha he dum velitantur, certant, raptitant,  
 Et discernunt pugnis rixisque: vter cibo  
 Potiatur: hic vt solus, ille fortis in  
 Partem, vt recipiatur, vterque à cibo excidit  
 Ex ipsis suis bolum amifere faucibus  
 Feruescente enim certamine, en vorax canis  
 Aduenit, rapit depositam humi escam, atque illico  
 In pedes se dat, risu emorior, quàm gaudio  
 delibutus est Molossi animus? vortit bene  
 Ipsi profectò, at illis infelicitè  
 Vt vulgo solet inter quos malè gratia coit,  
 Perniciosa omnibus est semper contentio.

Actus quarti Scena prima.  
 Oronarij & Septenarij Iambici.  
 Diabolus Hedylogus  
 Diabolus.

**V**bi tandem meos inueniam? vbi nanciscar? differam,  
 Dilacerabo infortunis, vach tam segniter ac frigide  
 Mastigias delegatum sibi curare negotium?  
 Tantæ ne molis, tantæ industriæ, imperitum omnis rei  
 Iuuenem ad nequitiam pertrahere atque persuadere, quo solum  
 Vertat. Hedylog. Quis hic loquitur? nullus sum, herus est qui  
 vtinam aut hic non sit, aut  
 Ego alibi, tam edepol est toruus, si sinapi vicittet,  
 Adeo hercle triste m. reddi posse nunquam censeam  
 Iracundo Iracundior Hadria: Stentore clamosior,  
 Minus quietus Euripo, nequit consistere,  
 Ita est homo, semper iurgat, turbat, mulciat, malo enecat.  
 Quid vis potius quàm tam violentum imperium perferas,  
 Sed cesso me hinc surripere? eia age subita te mox subtrahè fugi  
 Hedyloge. Diabo. Quem malum audio hic: tam nequitia & cu  
 minum  
 Caput, talaria induas, surripiasq; hinc te protinus?  
 Vos quærito stabula flagiti ad eon cessatum oportuit?  
 Hem, nondum lacteis inclusistis illum ter venesci?  
 Hed. Non potis est sic Eubulus Padagogus instruit, monet,  
 Infidias

DE SAMARITANO

Infidias indicat, nostrisque clypeum telis obiicit,  
 Diab. Furcifer iniectam tragulam seni, factamq; fabricam  
 Oportuit, & eiectum omnem à parendo discipuli animum.  
 Id si succederet minus ex sententia: sacra anchora  
 Soluenda erat, nostrisque pugnandum triarijs.  
 Hed. Adeo inuolūtē & nodosē loqueris ænigmata.  
 Non hercle intelligo. Dia. Non hem. Hedy. Non Hedylogus ego  
 Sum haud Oedipus. Dia. Nempe ego aperte dicā tum nescis &  
 Includi quasi sagena, multorum milia hominum?  
 Sagena hæc est voluptas, qua seueros iam diu  
 Frustra omni telorum genere oppugnatos, tandem sub iugum  
 Subigimus: ille hac machina, hoc erat pulsandus ariete,  
 Voluptatis species ob mentis oculos posita, adamantinos  
 Irrisibiles & ferreos rapiet ad nequitiam titos.  
 Quantumuis luctentur: si fixus heret viatus in animo  
 Hac concussi balista, hac obruti cadent phalarica  
 Quid intellexit? an nondum etiam hoc. Hed. Immo probē.  
 Dia. Hac igitur nunc in harena desudascite.

Actus quarti Scena secunda.

Scæzontes.

Eubulus Dromo.

Eubulus

**H**Ac illac circumcurſa Dromo, caue sodes  
 villo confitas in loco: nisi iumentum  
 Adductumq; prius curaueris herilem ad me  
 Filium: idem porro vt faciant: quisquis est nostræ  
 Familiæ commoneto, si expetunt illum  
 Saluum, audio in puerum fallaciam intendi  
 Ineuitabilem: nisi iuauamus nos,  
 Et summa nimirum ope: nam voluptate  
 Adoriri adorant, violento admodum telo &  
 Ingente non temerè aiunt fabulæ, visa  
 Medusa in saxa extemplo abiisse eos qui illam  
 Vidissent: sic Diana quoque suum arbitrum  
 In ceruum mutauit, ratione eadem, quum  
 Voluptatum illecebra deuinxerit sese  
 Semel animus: ingratis eadem relabetur  
 Ad consilia, quasi sus ad volutabrum,  
 Nec meminit aut virtutis, aut honestatis,  
 Tanquam qui Lothon edit: patriæ terræ  
 Redditur immemor è sue grillus reculauit  
 Refutui: vt Circes biberat poculum; cantu

B 2 Mul,

C O M O E D I A

Mulſi Sirenum, periere ratè ſubuerſa  
 Docent exempla hæc, vitæ ſemitas illos  
 Nunquam apprehenſuros, qui amplexi voluptatem  
 Hac delinſi ſunt ſemel, amplius dico  
 Aſpectus exurit, derorquet ad praua  
 Exeſt medullas incunabula æternæ  
 Mortis cupiditates, transfundit in mentem  
 Aegio animi fenestras ſedulo adſeruet.  
 Ne mors illac ad animum ſubdole irrepat  
 Hoc vt ſuat: neruos intendit huc omneis  
 Iniquus grex, Id noſtro nuncia raptim  
 Ego hac approperabo: illac curſitato tu  
 Ocius, opus eſt factò. Dr. Opera dabitur, Eubule  
 Vale noſtrum iter vtriuſq; bene deus vertat.

Actus quarti ſcena tertia  
 Diabolus          Dromo.

Diabolus.

**N**Vm noſtras ille, huc magnis qui affectat viam  
 Gradibus? non Megadori eſt, vt grallatorius  
 Grandes grandit gradus? nimirum ſubolet hiſ,  
 Quod machinamur, eludendus hic eſt mihi,  
 Ne pugnam nobis ſue turbam dat aliquam,  
 Dum ad nequitiam in noſtro docetur Aegio  
 Ludo. Dr. Moue abs te omnem moram Dromo atq; age  
 Hanc rem, vbi nunc illum inueniam? quod ſi quis mihi  
 Eum indicaret: quiduis optatum feret.  
 Dia. Abigendus ille hinc mihi eſt, heus tu apage ſis  
 Te hinc. Dr. Tu ire quemq; publica vetes viæ  
 Dia. Ita hercle verò veto: adeoq; infortunium  
 Inuenies niſi celere maturaris fugam.  
 Dr. Atqui hæc vis eſt. Dia. Sic ſum nihil refert mea,  
 Dum id quod volo modo impetraſſo. Dr. Durus es.  
 Dia. Nullus gratiam moror aut ingratiæ  
 Maleficio adiungere mihi non beneficio  
 Conſueui hoies. Dr. Quin quo me herus ire vult ſuus?  
 Dia. Quin nihili facio. Dr. Quin ingratis. Dia. Quin nec  
 Pol ſinam. Itan pergis maſtigia? hu vapula.  
 Dr. Hei mihi, ſed eccum quem quero, dictator en  
 Nihili in minimi præſij ſenatu præſidet:  
 Nec mihi conferre cum homine ſermonem licet,

Neque

DE SAMARITANO.

Neque malarum rerum autores refellere.

Aëtus quarti scena quarta

Oſtonarij Septenarij Senarij, Tambici

Septenarij Trochaici nonnulli.

Aegio Hedylogus Gulo Diabolus.

**E** Cqd Sarcophilia amat nos? He. Amat? an ardeat poti? roga  
Ae. Ain? H. Nō sic flammiumomis ignibus Aethna flagrat.

Ae. Pol beas

Me. G. Miſera ſomniat te cogitat, te deperit, ita ſe

Cruciat, macerat affiſtat miſera præ amore, faſtidirier

Se abs te ſiſentiat: perierit e veſtigio

Prudens, volens, videns, viuensq; ſic deamat medullitus.

Non eſt quod cauſeris, non amari cuiq; incognita:

Vnde hinc notio me? Aeg. Pulchrē ſcrupulum ex animo eximis.

Gu. Dum virtutes prædico tuas, quaſi Naphtha incendio

Rapitur. Hed. Vt ingenua eſt & liberalis: oppido eſt

Aegre illi, tam arte contenteq; haberi te, nam ſpiritus

Generoſus, libertatis eſt amans, proinde te citat

Libello venereo: hem ſume literas ſui amoris indices

Ae. Sarcophilia Aegioni ex aio plurimam

Dicit ſalutem, mi animæ miſereat tui

Te, vt me tui miſertum eſt, itidem te mei

Iuxta miſereat mea voluptas, mel meum

Mea lux, meus ocellus, mea vita, corculum

Meum, amore languo nimio, & inſtar niuis

Sole incaleſcente liqueſco, niſi te mei

Miſereat itidem, vt eſt miſertum me tui:

Occiſſiſſima ſum, vt tu etiam eſ occiſſiſſimus,

Veni duos vna ſerua opera, ſi duos

Nolis: vt me malo dignam exitio putes:

Tu indignus eſ qui interea, ſis curæ tibi.

Veni mi pulle, veni mi paſſer, carceris

Tui deſere pedorem, fuge tyrannidem

Duri patris, qui te geniumq; nobilem

Iſtum, omni fraudat fructu gaudi, vale

Paleſtra ex Hierichontea, o iterum vale.

Vix apud me ſum, ſic ardeo, æſtuo cupidine,

Dia. Heus flagricibæ adiciſte virus ſerpentibus, & addiſte oleum

Camino, quem petat turdus cibum à tranſſenna oſtendit

Hed. Ohe teneo, vin Aegio videre tuę vultum candidum

Veneris, & luculentam formam, ocellos perq; amabiles

Colorem verum, os roſeum, Ae. Iamdudum iſtuc geſtio

COMOEDIA

Hed. Hem vide.

Sarcophila hic saltabit cum Cupidine,  
Marte, & Como latronibus.  
Actus quinti scena prima.  
Senarij Iambici.

Hedylogus. Aegio Eubulus.

Hedylogus.

**V**iden quàm sint tibi secundæ, de tuo  
Amore res omnes? quid sentint? Aeg. Admodum.

Hed. Nimirum senticeto inheres aspero.

Aeg. Vbi tu quæ tam imperiose vadimonis

Vadata es venereis me? ocelli me tui

Cepere, leues nutus, collum tornatile,

Te suspiro, te inhio, ad te mea vita aduolo.

Eub. Cursando atq; ambulando contriui hunc diem,

Nec quem quæro inuenio Aegionem. Sed quis est

Delirus ille, temulentus, lymphaticus?

Au, noster est: is de quo agebam: prochi dei

Fidem atq; hominum? quis ad hunc te exagitat modum?

Quæ te intemperatæ, quæ larvæ aut monstra stimulant?

Aeg. Totum me Sarcophila tenes: duc quo libet.

Vbi sum nescio: vbi sum, ibi non sum, atq; vbi

Non sum, ibi animus est meus. Eub. Ad mentem obsecro redi.

Eheu quo Corycei te pepulere? quo

Redegere? redi oro in viam. Ac. Lux mea, mea

Animula, mea voluptas ad te vernulum ô

Meum prope ruo. Eu. Perit occisa est salus

In pertusum ingero dicta irrita dolum,

Quid verba mortuo facio? verfabere

Aegio hodie verberibus, atq; incommodis

Augeris, frigere vt cicer, vt incus miser

Cuderis, plagis, flagris, sanguine horridus.

Aeg. Hierusalem vale, vale longum. Eub. Malè

Conciliate peris: eo vt apportem nuncium

Patri cuius minime optet fieri particeps,

Mecq; expediam qua suspectus sum noxia.

Actus quinti scena secunda

Septenarij Trochaici & Iambici Senarij.

Diabolus Comus Mars Cupido

Latrones. Aegio.

Dia. Agite



DE SAMARITANO.

Diabolus.

**A** Gite sacri adeste symmista, plagipatida appetit,  
Appropinquat infidiis. Æg. Egredius urbem commodum  
Sum, ecce moles quædam ardetat, cœcussatq; cor mihi,  
Et dolor animum intestinus fodicat tanquam spiculo.  
Præfagit mali mens quippiam, redcam ne an progredi  
Pergam: redeam? non si ipsa me reuocet salus  
Amoritatibus omnibus prior est Venus  
Mea, ð te iamiam amplectar. Latron. Deglubite hominem  
Dispoliate, exuuias auferemus. Aeg. Hei misero mihi.  
Latro. Impurum operiamus flagris, fustibus, tuber caput,  
Et reliquum corpus reddamus, ex suis virtutibus  
Ornate, plagis hulcerate, occidite.

Diab. Benè habet, auferte prædam, en semianimus iacet.

Actus quinti, scena tertia

Trimetri Iambici & Trochaici vno cum Dimetro

Megadorus.

**D** E isthac Eubule requietus esto, te  
Extra noxam esse sat scio, ne lachryma  
Nobis ratio inita est, illius vt sita  
In tuto res sit, Samarites meus vnicus  
Mea potentia, meus sermo, meum brachium,  
Verum aget Samariten, voci congruet suæ.  
Seruatum curabit nobis & redditum:  
Verum ne tanti temerè redimam, perditum  
Tentabo primùm minimo, deinde paululo.  
Quodsi non queam, at quanti queam  
Hæc gratia Sacerdotem cum victimis  
Legabo, siquidem iuuerit: sin hoc minus  
Leuites ibit legibus instructus sacris:  
Postremùm destinabo Samariten meum.

Actus quinti Scena quarta,

Trimetri vt superiores.

Sacerdos.

**I** N lauta ne esse parte me, atq; acta benè  
Censeo, cui aduersus violentiam hostium  
Obsidentium hæc itinera, dedit deus hostias  
Quibus benè si viar, propitietur mihi pater  
Cæterum illi tam indignis exemplis saucio  
Nihil queant conferre, doleo feminecis vicem  
Actus quinti Scena quinta.

Trochaici septenarii

COMŒDIA

Leuites.

**N**on est vltimæ infelicitatis ducendum loco,  
 Si cui cœlestis mysterij, tradita sunt oracula,  
 Præscripta à deo lex & magni decreta numinis  
 Cœdita sunt nobis, quibus quid phas sit, quidq; sit nephas  
 Exploramus haud incitè, sicut lapidem ad Lydium.  
 At bruto, insulto, fatuo si hæc enarrare ceceperis,  
 Nihilo plus agas, quàm si des operam vt cæco purpuram  
 Offeras diiudicandam, aut surdo referas fabulam  
 Quin irritamenta & illecebras peccandi suscitant,  
 Nisi Deus retundat mentis impetum, & præmolliat  
 Animum. Proin quum lex mea præsidij nil ferre huic queat  
 Etummosum adire agrum, quem neq; re neq; verbis iuues  
 Progredior igitur, mando illius affecti curam Deo.

Actus quinti Scena sexta

Trimetri Iambici

Samarites. Ægio.

Samarites.

**N**on me piget agere, quod fugitant liberi alij  
 Qui dum paternæ fontem munificentiae  
 In alienis aliquanto vberius sentiunt  
 Aperiri, metuunt posse tandem claudier  
 Sibi ad fundum profusa abierit largitas  
 Benignitatis idcirco præcidere  
 Venam, operam dant, ego contra si cui benefacit  
 Pater, ex animo gaudeo, si quæ mittit manu  
 Approbo in hæreditatis amplæ ius meæ  
 Adoptat, id sanè lubente me facit:  
 Sin malè meritum beneficia adiungit sibi,  
 Laudo, ad solem comparo, qui lumen omnibus  
 Fruendum vltro suum dat, si quenquam abdicat  
 Ob flagitia, quæ facit illiberaliter  
 Animi me ango, quod possum enitor sedulo  
 Manibus ac pedibus qui restituatur gradum  
 In pristinum, & in idem vsq; insto incumbere  
 Ach quantam adfert animo meo ægritudinem  
 Adoptati iam pridem fratris calamitas  
 Eheu videns horresco, sanguine fluidus  
 Corpore lacero, vulneribus altè hiantibus  
 Sanie atq; tabo squalidus, aspectu horridus  
 Iacet, cheu oculis triste spectaculum meis

Vident

DE SAMARITANO.

Videns excrucior, commouentur viscera  
 Mihi omnia, quo mihi iumentum, vinum & oleum?  
 Nisi hæc præ fratre post putem? vtraq; vbi opus est?  
 Quid cesso adire, atque oleum vinumq; addere.  
 Cruentis plagis? Frater euge, animo es bono.  
 Sodes ne metue, en infundo charismatis  
 Tibi gratuiti oleum, quo sis gratus deo &  
 Charus & electus, hoc est oleum gaudiij  
 Atque exultationis. Itidem vñs meri  
 Qui sanguis vix est plagis confert adhibitus  
 Quis circumuecto magno studio linthea  
 Vt fote melius coeant, tibi neinpe scelera  
 Remitto, & charitate teo te colloco  
 Meum in iumentum qui commodius hoc iter  
 Conficias, & incarnationis te meæ in  
 Vehiculum traduco, quo languores fero  
 Cunctorum, namque ego plexus sum humanum ob scelus  
 Quiesce hic. Æg. Merito maximam habeo gratiam  
 Tibi, ab orco in lucem & vitam reuocas, eram  
 Nullus, restituis me, excideram omni spe, patris  
 In gratiam reducis me, meritissimo  
 Amo te. Sama. Istam fac teneas mentem, & quid  
 Possiem amicus, comperies magno tuo bono

Actus quinti Scena septima

Trimetri Iambici cum septenario.

Stabularius. Samarites. Ægio  
 Stab.

**S**Tabulum hoc est Pandochium hic constituit herus  
 Receptandis curandisque familiariter  
 Peregrinis vniuersis, qui huc diuerterent.  
 Meque hospitem dedit, hospitem æque omnibus  
 Esse iubet, duci qui nolit, iubet trahi  
 Pij exemplo Abrahæ & Loth: quod sumptifacio  
 suppeditat de suo, nec sumptus sumptui  
 Ducit, quantumcunq; expendo, semper dati  
 Rationem superat acceptum, sic copix e  
 Cornu influit, intendere me semper & erigi  
 Occasionem in omnem mandat, deputat  
 In lucro sibi, quod beneficit de suo, exeo  
 Itaque huc obseruatum, ne quis beneficij  
 Expers prætereat: sed quis hic est, videon Herum?  
 Certè ipse est, Salue iterum atque iterum optato ades

Here

COMOEDIA

*Here.* Samar. Credo, quia seruis tam liberaliter.  
*Stab.* Si quid ago aut egi quod placet, gaudeo equidem  
 Idque esse gratum tibi beneficium aestimo.  
*Samar.* Huc fortunatè ades æger, si cui contigit  
 Vnquam auspiciatò esse ægro. *Aeg.* In me istuc competit  
 Idque immeritissimo, hocque est maior gratia  
 Ad amœnitatem atque venustatem congruit  
 Tam aperta, humana inexpectatàque  
*Mihi* liberalitas. *Samar.* Istuc rectè. *Stab.* Sine  
 Te adiutem *Here:* renuit en quàm familiariter  
 Introduce, quæ gerat arbitrari lubet  
 Hic per ruinam. *Proch* summe deus, curat, lauat, fouet,  
 Depositem demulcet, curat, lauat, fouet,  
 Solatur, nullis denique verbis dicere  
 Queam, quanta pius sedulitate studio &  
 Quasi officiorum sollicito certamine  
 Totam hanc emensus est noctem, videre me  
 Iuuat, iuuat vsque morari, nulla sentio  
 Noctis tædia: sed nunc huc egreditur foras  
 Quicquid me obire muneris velis: tibi  
 Me dedo, obsequi quiduis impone, impera.  
*Sama.* Misero quod benefit id demum gratum est mihi,  
 Proque istis meritis gratum me & numen fore  
 Olim cognosces in die illa, utque grauida  
 Gratia sit illa cumulatissimis bonis:  
 Adduxi huc hominem calamitatibus oblitum,  
 Quem tibi curandum mando, tradoque  
 In accepta refer. Accipe, hem denarios  
 Duos hos, quod si quid facias impendij  
 Hæc præter, confice tabulas, atque id refer  
 In rationes, & dum tecum in reditu puto  
 Reduc ad calculum: reponamque ampliter  
 Tibi. *Stab.* De isthoc animus in tranquillo est mihi,  
 Lubens in hoc incumbam, & morem tibi geram.  
 Vale, o *Here,* concedo intro, ut ægri curam agam  
 Congratulor homini, atque gaudeo mihi  
 Illi salutem, mihi parata præmia

Morio

Spectatores, hic si manetis, denuo  
 Huc illi dum exeant ad vos, perit opera  
 Vobis, Intus conficietur negotium.  
 Ægio comiter excipitur, in tus Pandocheus.

Num

DE SAMARITANO.

Nummos dispenfat, qui si mihi sint crediti,  
Minimè domi, sed in popina absumerem  
Neu Samariten expectate, haud hodie aderit.

PERORATIO.

Tace verberò, quin spectatores optimi  
Agite, expectate venturum dominum, quia  
Vita vigilia est & palma posita est vigilibus  
Non temerè est nec vacat mysterio, hospita  
A Samaritano Christo non nisi duos  
Nummos, eosque argenteos decadi sacros  
In impensam dari, nimirum symbola  
Vtriusque legis Mosæ atque Euangelæ  
Aut præcipui vtriusque mādati vnde lex  
Dependet vniuersa, & magna oracula  
Vatum, hæc argenti candorem sancta retinent  
Et puritatem, spectantque sacrum ad decalogum  
Stabulario traduntur. Est Stabularius  
Autem gratis homo. Scriptum est deus de proximo  
Mandauit vnicuique, sed huc non respicit  
Noster Samarites, designat enim ecclesiæ  
Capita & columnas qui à Petro quasi per manus  
Lampada cursu accepere commissi gregis  
Curam, Petrus suis cum successoribus  
Est Pandocheus, illi nummi sunt traditi  
Euangelici: neque erogare solum habet  
Illos: sed & alios sua pro industria  
Sed vestram spectatores personam Ægio  
Præfert, vos estis hiulci laceri, faucii  
Plagis vitiorum in tactis à cacodæmone  
Semper sollicitante ad pessima, ne metuite  
Tamen vbertim vino madetis & oleo  
Christi, alligatis vulneribus feliciter  
Oleum spiritus est sanctus, his nouissimis  
Diebus effusus in omnem carnem, deus  
Omnes saluos vult fieri, vinum sanguis est  
Eius in eo tincti estis, & vt erratici  
Ouis reducti in stabulum moriens omnia  
Ad sese traxit dominus. Alligatio  
Vestrorum vulnerum numinis est charitas  
Qua donat, delet, abolet vestra crimina  
Veruntamen adhuc infirmi estis: nam caro

Nescio

COMEDIAE

Nescio quo fato est agra ad munia spiritus  
Quapropter Pandocheo cui vos tradidit  
Iesus, ex animo morem gerite, & vti  
Paulus ait subiaceat. Peruigilat enim  
Pro vobis. Ergo in Pandochio beneuoli  
Curatorem admittite, simul caete ne  
Eius praescripta despuatis. Sic dies  
Hic vobis fortunatus fuerit. Plaudite.

COMEDIAE FINIS



TANGIT MONTES



ET FVMIGANT

ANTVERPIÆ  
Typis Guilhelmi Montani. Anno salutis huma  
næ sesquimillesimo trigesimo  
nono  
†

